
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)



M. Tuscher fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= L N 660
ex. 1
M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

CARMEN
IN NVPTIIS CLARISSI-
MI VIRI: GENERIS NOBILITATE,

Virtute & prudentia præſtantiſſimj: proammiraldi in Regno Daniæ digniſſimj: D. Henrici Guldenſtiern de Aagard: & eius ſponſæ dilectiſſimæ: Virginis nobilitatis ſplendore clariſſimæ: Virtutis laude ornatiſſimæ: & Virginitatis omnibus ornamentis laudatiſſimæ: Marthæ Rhud: D. Othonis Rhud & D. Petronellæ Oxe de Mugelkier Filiæ ſecundæ: celebratis Hafniæ XXVII. die Iunij: Anno

1574.

Honoris & obſeruantiæ gratia

Scriptum
Ab Iſaaco Mauritio.

HAFNIÆ,
Impreſſit Laurentius Benedictj.
1 5 7 4.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

ILle ſuum Martem cantet, cuj Martia mens eſt:
Et quem delectat vehemens diſcordia: ſiue
Hoſtili quæ ſunt haſtilia tincta cruore:
Purpureiq; enſes, hominumq; cadauera: multos
Quæ campos onerant & maxima flumina complent.
At capitur multò maior, mihi crede, voluptas:
Cùm canimus Veneres caſtosq; ſonamus amores.
Nam thalamos læti ſacros intramus, eburnis
Extructos trabibus, fuluiq; colore metalli
Inſignes: vbi diſpoſitas longo ordine menſas
Et vina & lautas epulas onerare videmus.
Hîc hylares voces & verba iocoſa, ſalesq;
Conditos audire licet, faciesq; tuerj:
Non vnctas manib fallaci ſmegmate plenis:
Aut ceruſſato citius fugiente colore:
Verùm naturæ melioris dotib auctas.
Quod facit impuras ad haras reuoluta luto ſus:
Non hîc Circæis grunit gens ebria ſuccis:
Sed blanda blandas affantur voce puellas
Perblandi iuuenes: hoc pacto cauſa futuri
Connubij datur: & ſponſo ſua ſponſa volenti
Aſſidet: amplexus poſt dulces, dulcia dantur
Oſcula: pulſantur cytharæ, tanguntur eburna
Plectra: fides reſonant, clangit tuba rauca, choreæ
Ducuntur faciles, terra pedib bene trita.
Hîc præit & ſequitur, ſacra comitante caterua,

 Doctus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Doctus & illorum ludorum inſtructor Apollo.
Non Hijmenæus abeſt longè, ſed proximus aſtat
Et ſponſo & ſponſæ, paſcens oculos, & eorum
Lætitia lætus; feliciter id iubet eſſe
Cœptum, felices ſucceſſus optat habere:
Sic magis atq; magis creſcentem nutrit amorem.
    Felicem nimium ſponſum, cui ſponſa venuſto
Flore pudicitiæ decorata, ornataq; cunctis
Dotib egregiæ formæ, ſortisq; benignæ
Aſſidet & dulci circumdat brachia collo.
    Felices multùm thalamos, vbi carmina ſacræ
Carminib miſcent muſæ: & qui præſidet ipſis
Delius aurata pollens teſtudine phœbus
Non negat aſſuetum cantandi munus obire:
Si non hos Erijcina fugit, ſi fautor & autor
Ipſe Hymenæus adeſt: quid n. felicius eſſet
Quàm ſuperos faciles, & ſecum ſemper habere?
    Nulla geri rectè poterit res abſq; deorum
Auxiliis: at, ſic faciente deo, deus alter
Vel parilis fieri mortalis poſſe videtur.
Quò plus accipitur diuinitus, hoc magis ipſis
Conformes ſuperis nos reddimur: atq; deorum
Munerib ſolùm felices poſſumus eſſe.
Nec ſe difficiles præbent dij ſæpe vocati:
Interpellati veniunt, & amantib adſunt.
Nec poſſunt alia melius ratione probare:

Eſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Eſſe ſibi curæ ſocialis fœdus amoris.
Hinc video quid amor ſit, amo iam & ſemper amabo:
Non amor eſt cupidæ breuis oblectatio mentis:
Qualem ſæpe ſuo parit inconſtantia motu:
Nec violentorum violentia plena laborum:
Quam facit effrenis naturæ fœda libido:
Sed quædam à ſuperis humanis indita vis eſt
Pectorib: nectens firmis homineſq; deosq;
Vinclis, & ſocians ſociali fœdere multos
Inter mortales: vt ſit cuſtodia quædam
Illarum rerum, triplici quas ordine nectit
Hamorum, rutuli grauis auri pondere, cœlj
Vertice dependens ad terras vſq; cathēna.
At non hos ſolùm qui morte aliquando domantur
Sed ſuperos etiam iam dictus corripit ignis.
Nam, ſi nullus amor mouiſſet corda deorum:
Non ſua Iuno Ioui præ multis chara fuiſſet:
Nec blandus blandas peramaſſet Apollo camænas:
Non aliunde ſed à ſuperis homo diſcit amare.
Si non eſſet idem iucundi fœdus amoris:
Nulla foret noſtri generis progreſſio: nulla
Nominis aut famæ celebratio: nulla parentum
Filiolos inter pia mentio. Vis violenta
Morborum, furioſus Mars, rabioſaq; Parca:
Auferrent celeres cunctarum ſemina rerum;
Et valde ſubitis turbarent cladib ipſos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Cum populo reges. Quid n. furioſius iſtis
Iam furit in terris? quid iam non inficit, antè
Non audita lues, corruptrix peſſima vitæ?
Quanta eſt nunc hominum mactatio? mille videmus
Carnifices alios vnum genuiſſe Cainum.
Heu quot, & egregios paucis, nos vidimus horis:
Vnà cum ſocijs & chara prole maritos:
Munerib vitæ ſpoliatos turpiter huius:
Cum data ſæpe fides non eſt ſeruata fidelè:
Sed quantum libuit cuiuis eſt facta poteſtas
Quosq; trucidandj: populoſa Lutetia magno
Quàm fuit in luctu & repleta cruore virorum
Interfectorum crudeliter, atq; piorum
Plena cadauerib: quæ poſtea Sequana quanq;
Accepit fluitans remouenda, tegendaq; : nullo
Ipſa tamen pacto ſcelus & facinus teget atrox.
Sed quid Gallorum memoro clademq; necemq;?
In mage vicino furit inſaciabilis orbe
Mars, qui quotidie magnum facit & graue damnum:
Quod ſine connubio non credo poſſe rependj.
Multa etiam noſtræ tenduntur retia vitæ:
Quæ ſtudio ſocij vitantur ſæpe fidelis.
Mutata vxores Minyarum veſte, maritos
Eduxere ſuos obſcuro carcere clauſos,
Pro ſocio charo, charam profundere vitam
Alceſtis voluit: tanto flagrabat amore

Ad.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Admetj, quanto nec cognati nec amici.
Non vagus illud amor facit aut petulantia: turpis
Sæpius eſt mortis quàm vitæ cauſa libido.
Hic eſt mille modis amor ignorandus, & omni
Vitanda eſt ſtudio ſcelerati occaſio factj:
Aut ſibi quisq; odium, generi maculas, & auitis
Nominib multos inimicos conciliabit:
Conficiet corpus contagio ſæua, medullis
Tabe liquefactis cæca, dementia mentem
Corrumpet, furijs animus ſtimulabitur æger:
Corporis atq; animæ donec diuulſio fiat
Peſsima: ſic ſcelus eſt ſcelerata morte piandum.
Ad pænas etiam grauiores ſæpe trahuntur:
Quotquot, poſthabito ſocialis fœdere lecti:
Prauis indulgent affectib atq; pudicis
Morib exutj, veneri ſe dedere certant
Terreſtri, purumq; impurum reddere corpus.
Lex eſt coniugib data cœlitus illa: iugalis
Vt ſeruare torj ſtudeant pactumq; fidemq;.
Innupti verò quia iuſta lege iubentur
Nubere, conſilio non eſt parere neceſſe
Horum: qui ſuadent caſtam ſine coniuge vitam.
Nonne in coniugio caſtè quoq; viuitur? immo
Caſtius & melius. non eſt hîc flamma medullas:
Non deſiderio facies eſt pallida: mentem
Non ſtimulant furiæ: non hîc ſunt ſaucia corda,

 Omnis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Omnis ſuſpicio, metus & contentio longè
Abſunt: delectat coniunx feſtiua maritum.
Et perſæpe facit triſtes deponere curas.
Hic quoq; mœroris tormentis eripit illam
Res quoties poſcit: nam vel partem capit ipſe
Vt leuior fiat: vel blandis demere dictis
Illud molitur, quod mentem cardine tollit.
Sed nec in his ſemper modus eſt, quj debuit eſſe
Reb: in hac vita ſunt multa incommoda vitæ.
Non omnis mulier bonitatis laude ſuperbit.
Hîc opus eſt igitur, non ſemper bella probare
Lumina. (forma ſua nec debet laude carere)
Sed thalamos cordis penetrare, videre quid intus
Sit, qualis vitæ dominus, quid factitet idem.
Si nequit extemplo fieri, fiet tamen illud
Perſpicuum paruo interiecto tempore: tempus
Efficit vt culpa videantur facta vacare.
At quòd non animus ſubitò ſpectetur, vt aurum
Ignib, id culpa pariter ſpectantis & huius
Artib efficitur: qui nouit fingere vultus
Quos velit, & vultu perſonam quamq; referre.
Credo equidem, neq; me fallit ſententia, tales
Artifices etiam ſuperis imponere poſſe.
Nam quid ni poſſent? vox eſt blandiſſima, voce
Falluntur multj: rationem vocis habere
Non æquè refert, ac vitæ noſcere quæ ſit

Inte.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Integritas, lapſiſq; audire quid egerit annis.
Cum ſic rimamur vitæ genus atq; probatos
Conferimus mores alijs: numerus citò maior
Perſpicitur qui ſit factorum, cauſaq; rerum
Geſtarum ſtudio ſic quærentis fit aperta.
Omnib in duplicem tabulam numerumq; coactis,
Vnus erit rectè factorum certior index:
Alter non rectè monſtrabit facta libellus.
Naturæ nemo tanta bonitate iuuatur:
Vt non offitij partem neglexerit vllam,
Multa eſt in multis peccandi occaſio rebus.
Sed ſtudio fiunt interdum, quæ ſtudioſè
Vitarunt alij melioris munere mentis.
Eſt operæ pretium ſic hæc ſeruare: nec vnq̃
Cuſtodem illarum fallet cuſtodia rerum.
Sed fortaßis erit noſtro quoq; carmine dignum
Dicere, qua ſemper fiat quis amabilis arte.
Aſt hîc non opus eſt alienis, propria virtus
Commendare poteſt hominem: virtutib auctus
Quo magis eſt aliquis, tantò quoq; charior eße
Et ſolet & debet: virtutis maxima vis eſt.
Omnes ſola poteſt ad amandum impellere virtus:
Viſi etiam nunq̃ virtutem propter amantur.
Hanc morum bonitas, hanc multorum fauor ingens,
Adde bonæ ſortis quàm plurima dona, ſequuntur.
Hæc Veneris ceſtum ſuperat, quo cincta, marito

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Sæpe in congreſſu valde placuiſſe putatur.
Sed Venus vtatur ceſto, non eſt opus iſtis
Reb in his Thalamis: reb meliorib ambo
Ornati ſunt, cum ſponſa ſponſus. genus ipſum
Si ſpecto ſponſi, vetus eſt & nobile: quale
Creditur ipſorum generare fuiſſe deorum.
Et credo ſtellis ornata inſignia ferrj:
Ne genus hoc cœlo dubitet quis originem habere.
Cum faciem inſpicio, nihil eſt formoſius ipſa:
Et genere & forma ſuperis par eſſe videtur.
Hæc autem in dubio nobis res ponitur: vtrum
Inter mortales aliquis mage ſit bonus, aut hac
Henricus ſolus bonitatis laude tryumphet:
Si Laus eſt facti merces, & nuncia veri,
Fama: bonus nemo meliori iure vocatur,
Quàm cui tale dedit bonitatis gloria nomen.
Dij bonitatis habent nomen, non nomine ſolùm:
Sed meritis etiam dici bonus ille meretur:
Qui patulas dedit rogitantum vocib aures:
Nec negat auxilium portare & ferre petentj.
Sic genus & formam multis Virtutib ornat:
Vt ſimiles optem multos, bonitate ſecundos
Nullos: nonne vxore bona digniſſimus hic eſt?
Nec minor eſt vxor felici ſydere facta.
Si genus eſt aliquid, magnusq; propaginis ordo
Laudib eſt dignus: laudis fert ipſa coronam

In-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Inſignem, proauos numerans longo ordine multos
Antiqua genitos & clara ſtirpe deorum.
Quid de ſtirpe loquor? ſi ſtirps non cognita nobis
Eſſet: at eximiæ quæ ſplendet gratia formæ
Argueret genus hoc demiſſum cœlitus eſſe.
Aſpice quantus honos oris, quæ gratia pulchris
Interfuſa genis, quàm mollis flamma venuſtis
Emicet ex oculis: num talis pulchra Dione
Cæſia vel Pallas fuit, aut Lathonia Phœbe?
Iudicio Paridis pomum Martha ipſa reportat.
Corporis & multas ea ſortis opes habet: at ſi
Quis veneranda piæ ſacraria mentis haberet:
Et thalamos cæcos diuini cordis apertos:
Cerneret in tantis, nil non mirabile rebus.
Cor pietas, pectus bonitas, prudentia mentem
Occupat inſignis: quis non videt illud ineſſe
Virgineum decus, & quod Virgo debet habere:
Quæ ſtudet egregia Virtutum laude placere:
Et primam caſtæ mercedem tollere vitæ.
Sic edocta bonas eſt inter ſponſa, Mariti
Vt ferat imperium facilis, patiendo futuram
Se ſtatuit magno victricis nomine dignam:
Dulce iugum credens quod fert cum coniugé dulcj.
Felices ambo, & felici ſydere nati:
Connubio ſtabili felici tempore iuncti.
Ad thalamos veſtros concurritur vndiq́, magna

Dona

Dona ferunt ſuperj, veſtro ſtudet omnis honori
Gens: Hymenæus obit quod debet, munus: Apollo
Lætitiam geſtu, vultuq; & voce fatetur:
Aonidum veſtra fortuna turba ſororum
Lætatur: plauſus diuûm, fremitusq; virorum
Arguit has flammas diuinas eſſe: pudicos
Extruxiſſe torum mores lectumq; iugalem.
Et credo ſuperos ideo voluiſſe maritum
Henricum fieri præſtanti Virginis ore:
Vt ſeruaretur tam claræ ſtirpis origo:
Et proles eſſet referens matremq; patremq;:
Non ſolùm vultu verùm virtutis amore
Et ſtudio famæ bonitatis laude potentis.
Atq; vtinam faciat te tali prole parentem
Nunc Henrice tibi quæ nubit nobilis vxor:
Qualem ſperamus, qualem ſacer ordo ſacrarum
Muſarum exoptat, qualem deſiderat ipſa
Patria, qualem etiam pietas manſura requirit.
Non quem te cupimus meliorem: vix potes vnq̃
Qui bonus es totus meliori prole beari.
Ergo tui ſimilem, nec te qua parte minorem
Optamus ſobolem, citò venturosq; nepotes.
Caſta deo caſto ſi poſſunt facta placere:
Non dubitamus eum præſentem, veſtraq; cœpta
Confirmare, pios conatus ſponte iuuare,
Et, quicquid tandem videatur, ferre, neceſſe.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)

3420

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3420 4° (LN 660 copy 1)